



**Petrus Cnapeus Sev Fvlllo In Thoma VVegetino,
Lvtherano Theopaschita Redivivvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1609

§. 12. Quintianus Episcopus veteri & nouello Fulloni Crucem, quam
Trisagio addidit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65394)

miserint credere in vnum Deum omnipotentem, nunc illos in tres Deos credere docuisti. Rursum, cū polliciti sint, credere in vnum Dominum IESVM Christū, filium Dei incarnatum, & hominem factum de Spiritu sancto, ex MARIA Virgine; tu, eos doces, ne dicant Dominum IESVM Christum filium Dei crucem perpassum esse, qui Deus est secundum sempiternam, & impassibilem ex Patre generationem; & idem homo secundum eam, qua in nouissimis diebus ex matre prodiit, secundum quam etiam sustinuit passionem; sed vnum Trinitatis mortuum esse, qui est ipsum Dei verbū. Confessi sunt rursus Spiritum sanctum viuificum, & immortalem, dicentes; credere in Spiritum sanctum, Dominum, & viuificantem; & mortalem esse ponis Spiritum sanctū, cūm dicis; sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis. Fuge, obsecro, huiusmodi errorē. Corruisti, noli in ruina persistere. Peccasti; iam peccare noli. Exspectat te sancta Dei Ecclesia, cupit amplecti poenitentem in vanis propositionibus tuis, & secum de Christo diuina prædicantem: neq; negantem ipsius animatam incarnationem, secundum quam etiam passus esse memoratur, clamatque tibi per nos: Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos, &c.

§. 12. *Quintianus Episcopus veteri & nouello Fulloni Crucem, quam Trisagio addidit.*

Multifariam, multisque modis, à veritate deuiasti, Exstat hæc Epist. Si & seq. Episcop. Tom. 2. Concil. Edit. nupera Biniana. contraria facis herilis mysterij, non sequendo Euangelia, vel Apostolos, vel sanctos Patres. Etenim expositio tua grauem fert contra ipsos nouitatem Catholicæ Ecclesiæ. Et quidem non abieccisti ipsam, nullis Episcopis præmonentibus te (maximè sanctissimo Archiepiscopo Felice) ab ipsa diuertere, & esse rectum, & ortho-

xum, salubris prædicationis sectatorem: sed certè contra, hæresium affectator fuisti, & talentum diuinæ doctrinæ in terram abscondisti, & non potius ipsum supra mensam proiicere censuisti; videlicet sanam doctrinā in cordibus hominum inserere, sed è contra zizania seminasti. Et quis adhuc sustinebit te, peruertentem Christi Euangelium? non prædicando vnum filium, in duabus naturis Dominum nostrū Iesum Christum & hunc crucifixum: sed Deum fortem, & immortalem videlicet, vnam Trinitatis substantiam dicens crucifixam.

Nec te diu morabor. Accipe breue, sed verum verbum: Si quis nomen Trifagion, hoc est, ter sanctum dicit propter nos crucifixum, & nō Dominum IESVM Christū filium Dei vnigenitum, damnetur. Si quis post vocem ter sanctam, Deum dicit crucifixum propter nos, & non potius vnum Filium, cui in medio ter sanctę vocis hymnus dicitur, damnetur.

Hæc tibi scripsi, vt scias, quod oportet sequi reuelationem sanctissimi Procli Constantinopolitanę Ecclesię Episcopi, quando in Campum cum toto populo eucurrit, fluctuante ipsa ciuitate sub terræ motu, & omnibus fletum emittentibus, repente puerum in aëra leuari à quadam virtute, & huic imponi Trifagium litanïæ, & dicere: sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis, & hæc annunciate Episcopo iussus est; sicque per tres horas in tribunali stans, secus pedes ipsius Episcopi, hæc narravit. Et sic postquā litanias fecerunt, stetit terræ motus. Sic ergo & tu litanias fac, & pausabit ira, quæ contra te proferenda est, &c.

§. 13. Justinus Episcopus Siculus prisco & nouo Fulloni, sanam mentem.